



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 75. Quid illi sit agendum qui scrupulosè semper timidus est, ne cum dubio operetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

dæmon, fac hoc, visne hoc facere? nunquid vis facere? hoc ipso putant se consensisse, quod falsum est, cum sit mera tentatio ad consensum.

Q 75. Quid illi sit agendum, qui scrupulosè semper 556
timidus est, ne cum dubio operetur. R. Hic scrupulus multis est molestus, cum enim certum sit eum peccare mortaliter, qui operatur, dubitans an hoc, quod facit, sit mortale, aliqui autem scrupulosi ad omnia ferme hæreant & nihilominus sæpe operentur, postmodum nesciunt, an re ipsa dubitarint, aut an se practicè resolverint: pro talibus servient sequentes regulæ,

§. I. Motivum prudens ad se resolvendum quod actio, quam talis homo anxius aggreditur, non sit peccatum, est hoc, si primo statim intuitu & sine formidine non cognoscat esse peccatum: neque opus est, ut examinet rationes pro & contra, sed certò credat esse licitum, hoc ipso quod primo intuitu non occurrat tanquam certò & indubitanter illicitum, ita Bonac. Sanch. Castrop. Laym. Stoq. l. 1. p. 5. n. 200.

§. II. Si sciam alios homines probos aliquid solere agere, tum etiam rectè judico mihi idipsam licere.

§. III. Quamvis scrupulosus postea inveniat se 557
aliquando errasse, judicando licitum, quod re ipsa erat illicitum, nil refert, potest nihilominus aliàs eodem modo pergere, & se secundum dicta resolvere, quia cum per experientiam suam sciat tales timores suos, qui æqualiter incidunt, esse communiter vanos, sitque moralis impossibilitas & nimia difficultas examinandi omnes, prudenter facit, si omnes contemnat & bonâ fide pergat, per accidens autem erit, si quandoque materialiter peccet.

§. IV. Si scrupulosus tam citò non possit se de- 558
terminare, nec satis contra illum timorem videatur formare

formare iudicium practicum, quod non peccet, quamvis operetur cum actuali tali timore, non peccat, quia timor ille non est iudicium nec conscientia dubia, sed tantum est fuga aliqua sive actus appetitus aut voluntatis conjunctus cum apprehensione mali, quod fugit; & ille timor relinquit iudicium aliquod quasi habituale, re ipsa virtuale, quod quis habet, & quo iudicat talem actionem non esse peccatum, cum tale iudicium hactenus habuerit de talibus actionibus, & censeatur illud adhuc habere, quamdiu non occurrit ratio certa & evidens in contrarium, licet ipsemet non advertat se habere illud ob impetum contrarii timoris, qui intellectum confundit & perturbat: re ipsa autem talis timor non est in ultimo iudicio practico, sed oritur ex cognitionibus antecedentibus vel comitantibus, quæ veluti objecta respiciuntur à iudicio practico, sicuti præmissæ ultimi iudicii practici respiciunt iudicium directum probabile & formidolosum velut objectum, quod

559

tantum affirmant existere, ut dictum est n. 306.

§. V. Si scrupulosus certò putet se habuisse dubium, non ideo certus est se peccasse, quia potuit fuisse dubium tantum speculativum, per quod non tollitur certitudo iudicii practici ultimò directivi: itaque ad summum reddetur dubius, an re ipsa peccarit necne, cum autem scrupulosus non teneatur confiteri dubia, ut possit tales timores tandem vincere, & superare pericula peccandi, consultius est, ut istorum mentionem nullam faciat, quando confitetur, nec se desuper examinet, an peccarit necne, sed potest prudenter se resolvere, vel quod non peccarit,

560

vel quod saltem non teneatur illa confiteri.

Q. 76. *Quid agendum sit cum illis, qui continuo talia oggerunt Confessario: Pater me non novit; non scit qualis sim; habet me pro scrupuloso & non sum; non sum ita, sicut putat; non satis me explicavi,*

&c. R.